



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 37. Principes atque Illustres hoc anno defuncti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Rationibus utrinque sedulo perpen-  
 sis Eadem S. Congregatio in favorem  
 præfati Cleri die 21. Junii respondit,  
 affirmative quoad omnia; quam deci-  
 sionem ipse etiam Pontifex die trigesi-  
 ma Julii confirmavit.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1727.

§. XXXVII.

*Principes atque Illustres hoc anno  
 defuncti.*

Inter Principes, qui hoc anno ad mor-  
 tis imperium vitam cum sceptro po-  
 suere, præcipuus erat Georgius I. An-  
 glizæ Rex, qui in Germaniam Hanno-  
 veranas Provincias suas lustraturus  
 proficiscebatur, primo Deldenæ acerbo  
 viscerum dolore, postmodum apople-  
 xia obrutus est, ac demum Osnabru-  
 gum delatus, in Palatio Fratris sui  
 Eboracensis Ducis tum Osnabrugensis  
 Episcopi noctu ante diem vigesimam  
 secundam Junii decessit, annos natus  
 sexaginta septem. Hujus Regis obi-  
 tum præcesserat mors Ludovici Ar-  
 mande de Conty Principis Regio san-  
 guine orti, qui per triennium litem  
 habuit cum sua conjuge, quæ Bour-  
 bonii Ducis Soror sese a Marito suo  
 sejunxit, & in Monasterio San-  
 Cyrano commorata est. Ante biennium ta-  
 men Dux eidem reconciliatus post va-  
 rios



Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

rios fortunæ plerumque adversantis casus nondum expleto trigesimo secundo ætatis anno die quarta Maij Aulæ & mundo valedixit. Attamen propter hujus Principis obitum luctus nec gravis, nec diuturnus erat; omnem enim mæstitiam brevi absorbebat ingens gaudium, quo universum Regnum efferebatur, divulgato Nuntio, Reginam duas Filias uno, ac prospero partu die decima quarta edidisse: Hanc ipsam tamen lætitiã nonnihil temperabat mæstitia, quam eadem Franciæ Regina conceperat, dum suam Aviam, quæ Patris sui Stanislai Regis Mater erat, die trigesima ejusdem Mensis Camboriti obiisse intellexerat.

Eandem æternitatis viam ingressi erant. I. Die decima quinta Maij Fridericus Christianus Daniæ Regis Filius, II. Franciscus Farnesius Dux Parmensis, qui post unius diei infirmitatem anno ætatis suæ quadragesimo nono obiit, cui Antonius defuncti Ducis Frater successerat, sui tamen regiminis auspiciã sat molesta habebat, eo quod beneficiã inaugurationem non modo a Cæsare, sed etiam a summo Pontifice petere urgeretur; Dux tamen Mense Junio Romam profectus, Benedicto Papæ juramentum fidelitatis beneficiario nomine exsolvit, ab eoque impetravit,  
ut



Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

ut a suis Ecclesiasticis unius anni decimas exigere posset. III. Viennæ die decima quarta Aprilis naturæ debitum solvit Joannes Fridericus natus minor Mutinæ Ducis Filius, anno ætatis suæ vigesimo septimo. IV. Parisiis die vigesima septima Septembris Princeps Boris Kurakin V. Petroburgi die prima Junii Carolus Holfatiæ Dux Pseudo-Episcopus Lubecensis, ibidemque die octava Septembris repentina morte Comes de Rabutin Cæsareus apud Ruffiæ Imperatricem Orator, & Cornelius Creuz Archithalassus die decima quarta Junii septuagenarius decessere.

Denique non sine magno totius Franciæ luctu supremam clausit diem Ludovicus Phelypeaux Comes de Pontchartrain, qui in omnibus, quæ subinde obibat, officii maxime arduis semper ob singularem prudentiam, moderationem, ac indefessum laborem sese de Francia optime meritum reddidit, ac per plures annos supremus Regni Cancellarius insigne prorsus nomen sibi comparavit, tandem vero Anno 1714. annuente Rege ultro cunctis dignitatibus nuntium remittens, reliquos vitæ suæ dies, raro sane inter Aulicos exemplo, in summo virtutum studio, ac continuis pietatis exercitationibus transegit.



Sæc. XVIII.

A. C. 1727

Inter Principes Ecclesiasticos hoc anno denotus maximi doloris argumentum exstitit Franciscus Antonius Comes de Harrach Archiepiscopus & Princeps Salisburgensis, qui decima octava Julii die ex libello preces suas persolurus tactus apoplexia Mirabelli decessit, ab omnibus summopere deploratus, quia omnibus benefecit, & nulli unquam nocuit: Attigerat annum ætatis suæ sexagesimum secundum. Successorem habuit Leopoldum L. B. De Firmian Labacensem Episcopum, cum enim hoc anno per obitum Leslæi Episcopi hæc Sedes vacaret, Leopoldus ex Seccoviensi ad hanc Ecclesiam transferebatur.

## §. XXXVIII.

*Scriptorum Catholicorum mors, eorumque opera.*

**P**aucos ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno obiire, adjungere lubet. Hos inter primo loco recensetur Guido Alexius Lobineau Benedictinus Congregationis S. Mauri, qui Superiorum jussu Britannicæ Historiam, quam P. Gallosius morte præventus absolvere non poterat, auctam, atque emendatam duobus majoris molis voluminibus edidit, quoniam vero, fors  
suæ